

DE SANCTO IOANNE EVANGELISTA ORATIO

IACOBI ACCARISII BONON.

HABITA AB EODEM

In sacello Pontificum Vaticano

AD VRBANVM VIII. PONT. OPT. MAX.

Anno 1628.



ROMÆ, Ex Typographia Cam. Apostolicæ.
MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. M. Sac. P. A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur.

F. Nicolaus Rodulfius S. Pal. Apost. Mag. & Vicarius Generalis Ordinis Prædicat.

ILL.MO PRINCIPI FRANCISCO S. R. E. CARDINALI BARBERINO



IACOBVS ACCABISIVS F.



VAM tibi orationem dedico (Princeps Illuſtriſsime) ea id agit, vt Ioannem à Chriſto dilectum comparet fulmini, ac proinde breuiſsima eſt, & vix nata inſtar fulguris extinguitur. Hæc ſi incondito meæ vocis ſtrepitu

Pontificis Maximi Patrui tui auribus ingrata fortaſſe accidit, eius vt oculis ſuauius emicare poſsit, a tuo nunc nomine lucem quærit; atque vt minus obtrectantium vocibus læderetur, fulmine ſe armauit. Vale.



ORATIO.



ONITRVI filius Ioannes, qui omnes terras ſuæ lucis emicatione colluſtrat (Pater Beatiſſime) nequaquam ſine ictu oculos præterit, ſed Chriſtiani orbis verticem ferit, dum in Domini pectus delabitur. Huius fulminis tactu ſuccenditur Chriſtus ardore dilectionis, quam luculenter præ ſe tulit, eo tempore nominatim, quo moriturus Virginē Matrem Ioanni pro hæreditate legauit. Præ cæteris etiam Diſcipulis Ioannem ſe dilexiſſe cæleſtis magiſter ſignificauit, cum abſtruſiora Diuinitatis arcana ei tam clare communicauit, vt nobilis Euangelij ſcriptor æterni Verbi generationem mortalium linguis interdictam potuerit enarrare. O te fortunatum adoleſcentem; Ioannes, qui dum inter epulas in gremium Chriſti caput reclinares, mentē ad ſinum æterni Patris eleuaſti. Inter beatas illas vlnas da vnice dilecte oculis tuis

ſomnum

ſomnum: nullius enim vigilantis ſtudia tuo ſopori præſtant, qui vel ipſam Dei ſapientiam habes pro puluinari. Iam abunde Parentis tuæ votis factum eſt ſatis; cum tu, non ad dexteram Chriſti ſeruatoris ſedeas, ſed illius complexu fouearis. At quam vereor, ne diutius ſuper illo Diuini pectoris toro conquieſcere poſſis, quod totum curarum tumultu ob mortem impendentem exagitatur; cuius inter horrores, cum tenebræ in vniuerſam terram, deficiente in cœlo ſole inducentur, tuæ dilectionis flammæ conſpectiores apparebunt. Quàm apto ſunt vſi conſilio cæteri ſodales tui, cum in cœna illa, quæ proximi funeris apparatus fuit, te deprecatorem adhibuerunt, vt de Deſertore Dominum interrogares. Tu ſolus id explorare debes, qui vnus cæteris Apoſtolis fugientibus, proditum præceptorem ad mortem vſque comitaberis.

Neque vero minus fulminis naturam imitatur Ioannes in duritie, hoc eſt laborum tolerantia, quos pro Chriſto ſuſcepit. Quotus enim quiſque eſt, qui illius conſtantiæ robur non admiretur, quod nec verberum ictus fregerunt, nec olei feruentis ardor emolliuit? Tu quidem Domitiane Auguſte immaniſſime, an non ebulliente oleo, quo ante Portam Latinam Ioannem extinguere exiſtimabas, fortiſſimum Athletam, demens, inunxiſti, vt robuſtius ſpectante Senatu P.Q.R. pro Catholica Religione luctaretur? Quamobrem, cum animaduerteret Cæſar, ſe inuito in Vrbe Ro-

ma

ma Christianam pietatem à Ioanne ciuitate donari, eum in Pathmum Insulam relegauit. Sed nihil proficis Imperator crudelissime, nam Exuli suo Roma augustissimum templum excitabit, id est Basilicam Lateranensem, ad quam peregrina fides Euangelij, veluti patria ad tecta confugiet, ibiq; Pontificem Maximum Sacrorum Antistitem collocabit, cuius pedibus Cæsarum tui successorum capita libentissime subijcientur. Sed mirum non est, Ioannem sibi non metuisse à Tyrannis, qui etiam serpentes contempsit, dum virulentos eorum morsus innoxios reddidit. Scilicet rationi maxime consentaneum erat, vt veneno vim auferret Ioannes, cuius ex ore vitalis doctrinæ nectar Christiana posteritas haurire debebat.

Quemadmodum vero fulminum exitus incerti sunt, ita Ioannis mors ignoratur: illud tamen de Sanctissimorum æque, ac sapientissimorum virorum auctoritate constituendum videtur, eum, postquam ab occidente in orientem multiplicis doctrinæ lumine fulgurasset, demum extinctum fuisse. Verùm quantam lucem priusquam tumularetur Ioannes Reipublicæ Christianorum attulerit, fidem faciunt præclara nobis ab eo relicta monumenta, quibus planissimè significatur, etiam ipsum fuisse hominem à Deo missum, vt testimonium de lumine perhiberet. Quam ruinam importarit Ethnicorum superstitioni, testentur Idola de suis Aris passìm deturbata, in Epheso præsertim Vrbe, quæ sicuti magni-

magnificentiſſimi Templi ſtructura reliquis Aſiæ ciuitatibus præſtabat, ita omnibus profanæ religionis impietate antecellebat. Nimirum in celeberrima illa Æde conſecrata Dianæ ſuperſtitionis tenebræ ſe ſe obſcuriores, quàm alibi intendebant. Has diſſipauit cœleſte fulmen Ioannes, qui ſi vnquam aliàs, vtinam de cœlo nunc micans furentium Hæreticorum conatus percellat, excitatas eorum ignorantiæ nubes diſcutiat, omnia ſcelerum machinamenta proſternat. Vtinam in Chriſti fidelium Principum corda mutuas dilectionis flammas immittat. Tueatur te, VRBANE Pontifex Maxime, quem Chriſtus liberator Ioanni ſimilem fecit, dum Chriſtianorum matrem, hoc eſt Eccleſiam Catholicam, fidiſſimæ tuæ tutelæ commendauit.

